

1481 oram: quam si tueri ille volet, a Ferrariensi bello vellet nollet temperaturum, dicere. Sed fac, inquit, illius vires omnino eas esse, quæ in plures partes belli commode diffundi possint: qua ille via ingressus genero auxilia ferre poterit? habet ne hic alatos milites, qui per aerem delati, ex Calabria in Cisalpinam Galliam devolare possint? Xysti Pontificis Roma est, Xysti Sabinia, Umbria, Picœnus ager, ac quicquid denique Italiæ a Tyberino ostio Anconem usque patet. Ille, ubi Herculem ad officium retrahi non posse vidit, non solum inferendi belli se auctorem exhibuit, sed socia etiam ad id bellum arma cum Veneto junxit. Non erunt nobiscum Florentini & Mediolanenses: at Genuenses erunt & Monferratensis Princeps; erunt & Rubrii Parmenses, quos constans fama est, ad defectionem spectare: quanquam ne adhuc quidem certi sumus, malint illi, quos pro hostibus nominavi, nobiscum bellum an pacem habere. Sed quum armis, auro, auxiliis abundemus, verendum est scilicet, ne non satis justam causam habeamus, qua bellum Herculi a nobis jure illatum videri possit. Quando unquam, Patres, ab vicinorum aliquo evidentior in vos injuria profecta est? Antiquas immunitates vestras toto suo principatu sustulit: vestri imperii finibus jamdudum incubat: Magistratum, quem in ea urbe ex fœdere habebatis (quia honestiore via non potuit) christiano cœtu per contumeliam excludi est passus. Quæ injuria vos movebit, si hæc non movet? An expectandum est, ut bellum, quod jam dudum animo molitur, firmatis suis per ocium partibus, ipse prior inferat? Inferet quidem, ac fortasse citius quam vos ipsi putatis. Ite, & majorum nostrorum vestigia secuti, qui non minus vindicandæ injuriæ, quam propulsandæ semper studiosi fuere, manifestum hostem (nam in eo nihil jam quod non idem hostile sit, cernimus) ferro, igni, terra aquisque persequimini; ac nunc primum, quod vobis Reique publicæ bene vertat, bellum decernite. Incendium hoc, quod tam proximo loco nostra patientia aluimus, quia aliter non licet, armis restringite. Intelligent omnes, scire Venetos, Liberum patrem